





1706 2.

Q. D. B. V.  
 EXCERPTA  
 CONTROVERSIARUM  
 ILLUSTRUM,  
 DE  
 NEGOTIIS  
 GESTIS,

PRÆSIDE  
 VIRO *Nobilissimo, Amplissimo,*  
*Consultissimo atque Excellentissimo*  
 DN. JOHANNE HENRICO  
 FELTZIO,  
 J. U. D. Pandect. & Juris Canonici

Prof. Publ. Ordinario Celeberrimo,

SOLENNI *Disquisitioni*  
 sistit

JOSEPHUS GROS,  
 Ad D. Octobr. Anno MDCCVI.

ARGENTORATI,  
 Literis JOSIÆ STÆDELII, Acad. Typogr.





Controversia I.

*An, si negotiorum gestor in quibusdam lucratus, in aliis domino damnum dederit, dominus possit utilia approbare, inutilia repudiare?*



Ratio controversiæ inde venit, quod, qui de culpâ à negotiorum gestore præstanda disputant, illi pro diversitate opinionis ab eo requirant diligentiam; quæ ubi non præstatur, ibi jus repudiationis domino

A 2

mino

mino concedunt, Nos autem quando domino damnum datum supponimus, non utiq; tale intelligimus, quod casu eveniat, sed cui culpa aliqua dederit causam. Hinc repudiatio domino non est deneganda, in iis ubi damnum datum est, licet approbaverit ea, in quibus commodum sensit. Rationem hanc, qui à parte affirmantium consistunt, per argumentum ex *l. 26. ff. pro socio*, à pari stabilire volunt, ubi *Ulpianus* negat, *socium compendium posse opponere negligentia*. Trahunt porro in partes suas Paulum, qui in *l. 23. ff. hoc tit.* ait: *Si quis negotia aliena gerens indebitum exegerit, restituere tenetur scil. dominus; de eo autem quod indebitum solvit, magis est, ut sibi imputare debeat.*

Sed haud tamen ita crude affirmativam recipimus, verum existimamus distinguendum esse, utrum unum sit negotium quod gestum sit, vel connexum; an vero plura sint & diversa. In priori casu negativam fovemus, in posteriori affirmativam.

vam. Ad firmandum primum decisio-  
nis membrum pertinet, quod nec pu-  
pillo nomina à tutore contracta quæ-  
dam agnoscere, quædam repudiare con-  
cedatur, sed quicquid in contrahendis  
nominibus gessit tutor, aut totum agno-  
scendum, aut totum reprobandum ipsi sit,  
*l. 16. ff. de administrat. tut.* in cuius tamen  
favorem multa aliàs particularia sunt in-  
troducenda. Imò legem expressam ex *ff.* pro  
hac decisione producere valemus nempe  
*l. 11. ff. hoc tit.* De cætero, quin lucrum  
ex casu, cum damno ex casu compense-  
tur, planè non est dubium. vid. *Bartho-  
lum ad d. l. 11.*

## Controversia II.

*An ignorantium tantum ne-  
gotia gerantur?*



Negativam tenent plures Docto-  
rum ob causam, propter quam  
actio hujus negotii introducenda

A 3

est,

est, quæ est utilitas illius, cujus negotium geritur, *l. 5. ff. de oblig. & act.* Hæc autem ita generalis esse videtur ut nec scientem excludere debeat. Sententiam hanc confirmat argumentum *leg. 2. & l. 19. §. 2. h. t.*

Verum nec ratio, nec leges adductæ impedimento sunt, quo minus affirmativæ nos adscribamus, & quidem ideo, quia scientia inducit mandatum, *l. 6. §. 1. ff. mandati vel contra.* ibi: si passus sim pro me fidejube, mandati teneor, & *l. 18. eodem:* qui patitur ab alio mandari, ut sibi credatur, mandare intelligitur. Sicque non amplius negotium geritur, sed mandatum executioni datur.

### Controversia III.

*An mulieres negotia gerere possint?*



RO argumento negantium primo allegari posset, quod fœminæ jubeantur à virili officio abstine-



tinere, *l. 2. ff. de R. J. & l. ult. ff. de tutelis.*  
 ubi foeminae tutores dari non possunt,  
 quia munus illud masculorum est. Se-  
 cundo, quod Praetor in *l. 3. ff. hoc tit.* po-  
 fuerit, *si quis & non si qua*; tertio, quod  
 Ulpianus foeminas vetet, ne alienis cau-  
 sis se immisceant, *l. 1. §. 5. ff. de postu-  
 lando.*

Veruntamen his omnibus bene exa-  
 minatis affirmativa adhuc praeter contraria  
 placet, quia omnes, qui per verum con-  
 tractum obligari possunt, etiam negotium  
 gerendo se possunt obligare; constat au-  
 tem foeminas posse obligari ex vero con-  
 tractu, *l. 11. ff. de SCro Vellejano*, ibi: alio-  
 qui nemo cum foeminis contrahet. Ad-  
 datur *d. lex 3. ff. hoc tit.* & ejusdem §. 1. in  
 quo mulieres expresse ad negotium obe-  
 undum admittuntur. Coeterum restrin-  
 genda est haec decisio ad negotia extra ju-  
 dicialia; à judicialibus enim foeminae ex-  
 cluduntur.

Controv. IV.

Controversia IV.

*An illi, qui negotia mea male gessit, quæ tamen approbavi, teneat ratione sumptuum?*



Inus recte negotia tua gessi, illa tamen approbasti, sicque directâ actione hæcenus me convenire nequis; ergone te contraria actione ratione sumptuum convenire possim?

Prima fronte apparet quod non; iniquum enim videtur eum, qui culpam remisit, conveniri ad sumptus utpotè male factos restituendos. At affirmativam tueri conabor ex §. 1. *Inst. de oblig. quæ ex quasi contr. nasc.* in quo dicitur, nasci actionem inter gestorem & dominum. Ex hoc patet, actione contraria negotiorum gestorem agere non prohiberi; licet enim dominus actioni directæ negotiorum approbatio-

batione renunciaverit; hoc gestori præjudicium non infert, si quidem, etsi unus Jus suum remittat, alteri suum salvum manet, l. 56. ff. de pactis.

Controversia V.

*An actio negotiorum gestorum detur contra pupillum, si illius negotia gesta sint?*

**D**Ubitandi ratio fere nulla relinquitur ob jam sæpius allegatum §. 1. *Instit. de oblig. quæ ex quasi contr. nascuntur.* Certum enim est, nasci pupillo actionem contra gestorem, l. 4. *Cod. hoc tit.* Hinc cum ex allegato §. *utro citroque* nascantur actiones, gestori contra pupillum vix denegari poterit actio. Huc etiam referri potest argumentatio à tutelæ gestione ad negotiorum gestionem deducta.

B

Verum

Verum hæc non absque distinctione  
 admittenda videntur. Vel enim ex hac  
 gestione pupillus locupletior factus est,  
 vel non; si locupletior inde factus est,  
 contra eum actio dabitur, *l. 2. Cod. h. tit.*  
 in qua expresse conceditur actio contra  
 pupillos, *in quantum locupletiores facti  
 sunt* & dicitur hoc ex utilitate eorum re-  
 ceptum esse: Conf. etiam *l. 3. 7. ff. eodem.*  
 Locupletior autem factus intelligitur,  
 quando non pauperior redditus est, *l. 47.  
 §. 1. ff. de solutionib.* ibi: *nam hoc ipso quo  
 non est pauperior factus locupletior est.* Si  
 non factus sit locupletior, contra eum  
 actioni locus non erit, *d. l. 6. ff. h. t.* quæ  
 distinctio etiam adhiberi poterit, si pupil-  
 lus ipse negotia gesserit, *l. 3. §. 4. ff. h. tit.*  
 ubi videtur lectio communis contra Cui-  
 cianam adhuc defendi posse.

Controv. VI.

Controversia VI.

*An actio negotiorum gestorum  
sit prætoriam vel civilis?*

**N**on inutiliter hæc controversia instituitur, imo necessitatis alicujus est, ut decidatur, cum multum intersit actionem esse prætoriam vel civilem, & ita temporalem seu perpetuam. Non parvæ quoque sunt considerationis auctores, qui hic dissentiunt. Qui priorem sententiam omnino amplectendam credunt, adducunt *l. 3. princ. ff. h. t.* inter quos liceat enumerare *Wesenebecium num. 10. lit. B.*

Verum posteriorem tuendam existimavi ex eo fundamento, quod oriatur ex quasi contractu *§. 1. Instit. de obl. qua ex quasi contr. l. 5. pr. ff. h. t.* qui regulariter computatur inter causas legitimas & Jure Civili inductas. Nec obstat *l. citata 3. ff. hoc t.* ex qua non sequitur Prætozem hanc

actionem introduxisse, sed tantum, quod hanc actionem Jure Civili introductam proponat & promittat, non ut auctor juris, sed ut administrator. Idem deprehenditur in actione commodati, *l. 1. princ. ff. commod.* quam nihilo tamen minus esse civilem apparet ex *l. 17. §. 3. ff. commodati.* ubi notari meretur, quod actiones commodati comparentur hoc nomine cum actionibus negotiorum gestorum. Aliud exemplum est in deposito *l. 1. §. 1. ff. depositi* & in hæreditatis petitione partiarum, *l. 1. princ. juncto §. 1. ff. si pars hered. pet.*

## Controversia VII.

*Quenam usuræ à negotiorum gestore ex debito sint præstandæ?*



Vi negotiorum gestorem ad centesimas adstringunt, adducunt,

*l. 7*

*l. 7. §. 4. ff. de administr. tut.* ubi tutor pecuniæ illius, quam in usus suos convertit, sicque se debitorem fecit, centesimas præstare tenetur, quæ hic dicuntur *legitima* in resp. ad materiam substratam; rationem autem legis adductæ desumunt ex *l. 54. ff. eod.* quia sic quasi sua pecunia licenter abutitur.

At hæc controversia citra distinctionem decidenda non est, cum duplex debitum in negotiorum gestore considerandum occurrere possit, alterum gestionem præcedens v. g. si ab eo, cujus negotium gessi, mutuam accepi pecuniam ante gestionem; alterum gestionem sequens, ut si ex ipsa gestione acceptas pecunias in proprium usum converterim. Quoad casum priorem subdistingui solet, ex *l. 38. ff. h. t.* num à se usuras exigere debuerit gestor, & solvit usuras minores, atque à domino exigi solitas, *l. 6. §. fin. ff. h. t.* vel non debuerit exigere, quando e.g. debitum est in diem, qui nondum cessit, & nullas præstat.

stat. Quod verò casum posteriorem concernit, ubi pecuniam ex gestione acceptam in proprium lucrum vertit, cum superioribus sentimus per legem jam adductam, 38. ff. h. tit. ubi Tryphoninus rationem, cur gestor maximas non præstet, recenset, quia nempe ex administratione nummos sibi non assumpsit; ergo si assumpserit, eodem modo, uti tutor, gravissimas præstabit.

### Controversia VIII.

*An actio negotiorum gestorum & mandati concurrere possint?*



Asus hic est: volui tuum negotium sponte gerere, postea amicus tuus mandat mihi ut geram hoc negotium; quæritur an concurrat actio mandati & negotiorum gestorum? Videtur quod non, quia habere mandatum &



& negotiorum gestorem esse sunt contra-  
ria, quod in hoc casu contingeret; cum  
altera harum actionum semper alteram  
excludat.

Verum affirmativam defendendam  
fiscipio, siquidem actiones hic non con-  
currunt in eandem personam; cum con-  
tra te detur actio negotiorum gesto-  
rum, contra amicum tuum vero actio  
mandati, & ita omnis contrarietas remo-  
vetur; id, quod alio exemplo simili de-  
monstratur in *l. 6. §. 1. ff. h. t.* in qua actio  
negotiorum gestorum & actio ex stipula-  
tu concurrunt, ubi contra procuratorem  
datur actio ex stipulatu, & contra domi-  
num actio negotiorum gestorum ibi: *po-  
test dici mihi superesse adversus te negotio-  
rum gestorum actionem.* Quarum tamen  
etiam una alteram excludit, sed nimirum  
hæc exclusio in eo casu est intelligenda,  
ubi personæ varietas contrarietatem non  
sustulit.

Controv. IX.

Controversia IX.

*Utrum Neg. Gestor teneatur  
etiam ad culpã levissimã?*



Negativam adstruere videntur, l. 20.  
C. h. r. L. 11. pr. ff. eod. item l. 13. §  
l. 19. §. 1. ff. eod. l. 7. C. arbitr. tut.  
Sed & arg. §. 1. Inst. de obl. qua quasi ex  
contr. ei patrocinari videtur, quia ibi tan-  
tum dicitur culpam levissimam præstan-  
dam, si modo alius diligentior ad negotia  
perventurus fuisset, Ergo extra hunc ca-  
sum tantum levis venit præstanda.

Ego vero cum Celeberrimo Schiltero  
nostro *Exercit. ad ff. X. §. 67. seq.* & aliis  
DD. affirmativam in me defendendam  
suscipiam, motus textibus ab iis hanc in  
rem citatis, & præcipue natura administra-  
tionis rei alienæ, quæ exacto officio geri  
debet, ita ut nec quicquam ibi ne-  
glectum culpa vacuum sit, l. 21.

*C. mand.*

F I N I S.

Straßburg, Diss., 1704-08

ULB Halle

3

005 359 848



VD 08





8247

5  
1706 2.

Q. D. B. V.  
EXCERPTA  
CONTROVERSIARUM  
ILLUSTRIUM,

DE  
NEGOTIIS  
GESTIS,

PRÆSIDE  
*VIRO Nobilissimo, Amplissimo,  
Consultissimo atque Excellentissimo*

DN. JOHANNE HENRICO  
FELTZIO,  
J. U. D. Pandect. & Juris Canonici

Prof. Publ. Ordinario Celeberrimo,

SOLENNI Disquisitioni  
affit

JOSEPHUS GROS,

Ad D. Octobr. Anno MDCCLVI.

ARGENTORATI,  
Literis JOSIÆ STÆDELII, Acad. Typogr.

